

Nikolaus V. an NvK. Er erneuert den ihm bereits früher erteilten Auftrag zur Rückführung und Reform der Böhmen und bestätigt die Ernennung zum legatus a latere. Gleichzeitig erweitert er die bisher verliehenen Vollmachten, falls erforderlich, auch auf die Böhmen angrenzenden Gebiete. Er bevollmächtigt ihn zu allen notwendigen Verhandlungen und ermächtigt ihn, im päpstlichen Namen die erforderlichen Entscheidungen zu treffen.

Or., Perg (Bleibulle an Hanfschnur): BERNKASTEL-KUES, StA, U 26. Unter der Plika: Pe. de Noxeto; auf der Plika: Jo. de Collis.

Kopie (gleichzeitig): ROM, Arch. Vat., Reg. Vat. 399 f. 208<sup>v</sup>-209<sup>r</sup>. Dort gleichzeitige Randnotiz: Extenditur legatio d. cardinalis de Cusa.

Druck: Martini, Nachträge zu Sinnachers Geschichte der bischöflichen Kirche Säben und Brixen 800-802; (unvollständig): Raynaldus, Annales ad a. 1452 Nr. 8 (C. Baronius – A. Theiner, Annales ecclesiastici IX, Barri-Ducis 1867, XXVIII 580); Kortenkamp, Urkunden 80f. Nr. 38.

Erw.: Marx, Geschichte des Armen-Hospitals 34; Krudewig, Übersicht IV 262 Nr. 30; Vansteenberge 220f.; Hallauer, Glaubensgespräch 63; Abert/Deeters, RG VI 447 Nr. 4407.

Nicolaus episcopus servus servorum dei dilecto filio Nicolao, tituli s. Petri ad vincula presbytero cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.

Dudum, cum te ad partes Alamanie legatum nostrum de latere duxissemus destinandum, considerantes, quod sapientia tua in nostris et sancte Romane ecclesie magnis et arduis negociis plurimum comprobata esset, in reductione Bohemarum et ad reformanda regni Bohemie loca multum fructuosa, tibi ad regnum huiusmodi accedendi et in eo auctoritate nostra omnia et singula agendi, tractandi et componendi, que pro illorum reductione, incremento fidei, nostro et apostolice sedis honore ac ordinis ecclesiastici exaltatione ac bono regimini christicolarum in eo residentium animarumque suarum salute videres expedire ac in eodem regno, dum ibidem presens fores, legati de latere officio fungendi et illud exercendi, perinde ac si ad regnum ipsum legatus destinatus esses, plenam et liberam concessimus facultatem.<sup>1)</sup> 10  
Cum igitur tu pro unitate ac pace in regno predicto componendis iam plures subieris labores et iniunctum tibi officium diligenter prosequi ceperis ac pro sperata illius consumatione felici in locis etiam forsitan extra regnum ipsum seu in illius confinibus, ad que legacio tua se non extendat, super ceptis per te negotiis sint constituende et tenende diete. Nos plenissimam de tuis preclaris meritis et operibus puritate in domino fiduciam obtinentes ac sperantes, quod ceptum negocium huiusmodi fideliter prosequaris, et gratia tibi suffragante superna votivo fine perficies te de venerabilium fratrum nostrorum consilio super huiusmodi ceptis prosequendis et feliciter consumandis negotiis quibusvis dietis, ubicumque illas super eisdem pertractandis negotiis constituti contigerit, denuo dicte sedis legatum de latere cum plena potestate legati de latere usque ad ipsius sedis beneplacitum constituimus et etiam deputamus, ut in eisdem dictis vices nostras gerens, ea, que sunt pacis, caritatis et unitatis ac que in exaltationem orthodoxe fidei et in honorem altissimi sueque catholice ecclesie cedunt, iuxta datam tibi a deo prudentiam salubriter prosequaris ac feliciter et tam ad votivum deduces effectum. Tu igitur divina gratia et angelico favore confisus, tam salubris onus ministerii devota mente et affectuoso animo suscipiens, te in premissorum executione taliter verbo et opere sollicitum exhibeas quod ad altissimi gloriam, orthodoxe fidei exaltationem, pacis et concordie consolidationem ac felix dicti regni incrementum votive cuncta succedant. Datum Rome apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, quatuordecimo kalendas Septembris, pontificatus nostri anno sexto. 25

<sup>1)</sup> Nr. 955.